



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Candidatus Abbreuiatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

Pichler, Vitus

Augustae Vindel., 1733

Titulus XXV. De Peculio Clericorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

vat dictam conditionem. *R. dist. ant.* Juramentum *assertorium*, quod adjicitur in confirmationem actus, sequitur hujus naturam velut accessorium. *C. ant.* Juramentum *promissorium* de non revocando donationem aliàs revocabilem. *N. ant. & conf.* quia tale juramentum stat per se, & parit obligationem saltem Religionis; cum omne juramentum sit servandum, quod sine peccato servari potest. *c. 8. & 28. de Jurejur.*

6 Dico 4. Effectus immediatus donationis inter vivos *verbalis* est obligatio tradendi rem donatam, licet pacto nudò sit facta. *c. 1. & 3. de Pact. §. 2. Inst. h. t.* medius verò *condictio ex lege*, donatario concessa. *§. 2. Inst. l. 35. C. h. t.* Sic enim appellatur actio, quæ ex natura negotii non competit, sed ex speciali assistentia Legis. *t. t. ff. de condict. ex lege.* Quamvis autem donatarius habeat hanc conditionem ad compellendum donatorem, ut rem tradat; per eam tamen petere fructus à donante interea perceptos non potest, minùs usuras propter moram. *l. 9. 22. ff. h. t.* Effectus autem donationis *realis* est translatio domini in donatarium, vel, si res aliena donata sit, conditio usucapiendi. *l. 9. cit. §. ult. & t. t. pro donato.* Donans tamen liberaliter rem alienam non tenetur de evicione. *l. 18. §. ult. ff. h. t.*

TITULUS XXV.

De Peculio Clericorum.

SUMMARIUM.

1. Quid sit Peculium Clericorum, & qua eorum bona.

2. Qua.

2. *Quæ sint beneficiatia eorum superflua.*
3. *Quorum bonorum domini sint Clerici.*
4. *An etiam reddituum Beneficialium;*
5. 6. *Maximè superfluatorum.*
7. 8. *An & quo Jure teneantur hos erogare in
pias causas.*

Peculium, quasi pusilla pecunia, in Jure dicitur illa portio bonorum, quam servus, vel filiusfamilias, qui sui juris non sunt, à bonis domini sui, vel patris, separatam habent & quasi propriam. *l. 5. ff. de peculio.* Hoc loco sumitur pro bonis quibuscunque Clericorum, licet sint sui juris. Hæc bona sunt in quadruplici classe.

1. *Patrimonialia*, quæ Clericis obvenerunt vel obveniunt ex causa & titulo merè profano, v. g. hæreditate, legato, donatione, contractibus, labore manuum, industria, arte &c.
2. *Quasi patrimonialia*, quæ ipsis obveniunt tanquam merces vel stipendium ex functione sacra, vel ministerio Ecclesiastico; uti sunt concionari, canere in Ecclesia, legere Missas, exequi funeralia, administrare Sacramenta &c. quò etiam referuntur omnes *redditus Stola*, ut vocant, & probabiliùs etiam *distributiones quotidiana*, quæ Canonicis dari solent ob singulas præsentias in Choro; quia dantur tanquam denarius diurnus propter specialem industriam in Officiis Divinis, nec veniant nomine fructuum Canonikatùs. Et hæc bona imitantur peculium quasi-Castrense, non adventitium, filii-familias.
3. *Beneficialia*, seu *prospectu Ecclesia acquisita*, quæ ipsis obveniunt ex Beneficio Ecclesiastico in titulum collato, uti Decimæ, fructus,

Pars II.

C

&

& reditus annui, seu fixi. 4. *Parsimonialia*, quæ Clerici de congrua sustentatione, etiam ex beneficiis sibi debita, parcius vivendo sibi subtrahunt. Hæc omnia bona in aliquo sensu latiori, saltem ratione personæ Clericalis, subinde vocantur *Ecclesiastica*; quamvis propriè *Ecclesiastica* ac in specie, quæ à quibusdam vocantur *Ecclesiastica quarti generis*, sint illa bona, mobilia vel immobilia, quæ ad Ecclesiam ipsam pertinent, uti paramenta sacra, fundi, prædia ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, ornatum ejusdem, vel fabricam, ordinata, non verò ad ipsos Clericos spectant, & ideo neque peculium Clericorum constituunt.

2 Ex bonis *Beneficialibus* aliqua possunt esse *necessaria* ad congruam beneficiatorum sustentationem, aliqua autem *superflua*, quæ nempe redundant ultra competentem eorum sustentationem. *Congrua sustentatio* autem dicitur illa, qua viri timorati ejusdem conditionis & loci solent communiter esse contenti, & quæ requiritur ad eorum, ac familiæ victum, vestitum, habitationem, convenientem recreationem, hospitalitatem erga peregrinos, & consanguineos exercendam, admoderata convivia, & donationes, præsertim elemosynas, & ad occurrendum fortuitis casibus morbi, sterilitatis &c. Quantum verò in particulari ad hanc congruam necessarium sit, una regula universalis dari nequit ob diversitatem loci, temporis, imò & ob personarum diversas qualitates: sic utique plus concedendum est Episcopo, quàm Prælato inferiori, plus huic, quàm Decano, vel Parocho, plus Canonico, quàm simplici beneficiato, plus Nobili quàm ignobili, plus Doctori,

Gra-

Graduato, aut insigniter docto, aut plus laboranti, quàm aliis. Notant præterea DD. quòd, sicut pretium rerum non est indivisibile, sed datur infimum, medium, & summum, ita etiam congrua sustentatio habeat suos gradus respectu ejusdem personæ, v. g. si infimum congruæ essent 500, medium forent 600. & summum 700. floreni annuatim. Sicut autem cuilibet est permissum rem suam summò vendere pretiò, ita & Clericis fas erit summum congruæ sibi attribuere. Jam quæstio est, an & quorum bonorum dominium & liberam administrationem habeant Clerici, maximè Beneficiati.

Dico 1. Clerici omnes sunt absoluti domini **3**
 bonorum patrimonialium. 2. Quasi-patrimonialium. 3. Et parsimonialium, 4. Consequenter de iis liberè possunt disponere ad causas æquè profanas ac pias. Ita plerique omnes. De *Patrimonialibus* constat indè, quòd per Clericatum ea non amittant, vel incapaces domini reddantur. De *quasi-patrimonialibus* exinde, quòd ea recipiant instar mercedis & stipendii: atqui de ratione mercedis & stipendii est, ut transeat in dominium operarii, ut constat ab inductione Officialium, Opificum &c. De *Parsimonialibus* ex eo, quòd debeantur propriæ industriæ, & sint fructus quasi industriales, qui omni Jure debentur parcè viventibus quasi lucrum ex industria & parsimonia obveniens. *Libera dispositio* sequitur ex natura absoluti & pleni domini, nec à Jure, nec à Fidelium ullo ligati, vel onerati. Restat igitur solùm quæstio de *Beneficialibus*. De quibus.

4 Dico 2. Clerici Beneficiati sunt verè domini bonorum seu reddituum beneficialium, ad congruam sustentationem necessariorum. Communis contra quosdam Canonistas antiquos, & probatur ex Trid. *f. 23. c. 1. §. si quis autem.* ubi statuit, eos Beneficiatos, qui non resident, *pro rata temporis absentia fructus suos non facere.* Idem statuit *f. 24. c. 12. de ref.* de provisio ad beneficia Curata, Canonicatus, & Dignitates Ecclesie Cathedralis, intra bimestre Professionem Fidei non emittentibus, quòd scilicet *fructus non faciant suos.* Ergo à contrario, qui resident, & Professionem emiserunt, fructus faciunt suos, saltem aliquos, consequenter illos saltem, qui ad congruam sunt necessarii. Atqui fructus facere suos idem est, ac eorum consequi dominium. *arg. l. 2. §. 2. ff. de R. C. & c. un. de Cler. non resid. in 6.* atque communis Juristarum loquendi modus satis superque id evincit. Unde apparet, quòd Beneficiati etiam de his bonis liberè valeant disponere.

5 Dico 3. Clerici Beneficiati sunt quoque verè domini beneficialium superfluatorum. Ita hodie communissima Scriptorum Societatis JESU, imò communis quoque aliarum Scholarum, ut ex Thomistica testatur P. Mezger, ex Scotistica P. Sporer, imò teste Pallavicino Patres Concilii Tridentini jam vocabant *valde communem sententiam,* quo tempore floruit Dominicus Sotus, qui *l. 10. de J. & J. q. 4. art. 3.* ait, hanc sententiam sibi ita esse persuasam, ut, quamdiu Ecclesia contrarium non definierit, nesciret, an eam posset deserere, eò potissimum, *cùm S. Thomas eam teneat, neque ullus ejusdem Ordinis Pater contrarium expressè dicat.*

cat. Interim tamen dicunt, Antiquos ferè omnes (qui utique Soto & S. Thoma antiquiores fuerint) contrarium tenere, quos ex Recentioribus secuti sunt Sfondrati, Van-Espen, Sannig, favente P. Reiffenstuel *h. n. 50.* ac nuper quidam Oeniponti, quem in suis Thesibus magisterialiter refutavit Dilingæ anno 1729. P. Augustinus Diesbach. Assertio probatur I. eodem argumento, quo prior; quia Trident. *lo. cit.* non distinguit inter fructus ad sustentationem necessarios, & superfluos: ergo utrosque faciunt suos, qui resident, & Professionem faciunt, Beneficiati: sicut non residentes & Professionem non facientes Tridentinum utrisque privavit in pœnam indistinctè. Confirmatur utraque assertio: Beneficiatis assignati sunt omnes redditus beneficiales indistinctè per modum mercedis & stipendii propter ministeria sacra: ergo omnes (tam necessarii quàm superflui) indistinctè transeunt in dominium plenum Beneficiatorum; non minùs ac redditus stolæ, & bona quasi-patrimonialia; id quod Adversarii admittunt. Prob. 2. Per divisionem rerum acquiritur dominium. §. 5. & *fin. Inst. de Off. Jud. l. 1. 2. C. communia utriusque Judicii.* Sed Clericis in divisione bonorum & reddituum Ecclesiasticorum, priùs communium, certi redditus sunt assignati sine differentia inter necessarios & superfluos, ut patet ex *can. 23. 25. 27. 28. caus. 12. q. 2.* in quo *can. 27.* Gelasius Papa decernit bona Ecclesiastica in quatuor partes esse dividenda, *quarum una sit Pontificis seu Episcopi, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis*

applicanda. Vel ergo pauperibus furripiendum erit plenum suæ partis dominium, quod nemo dixerit, vel etiam Episcopo & Clericis relinquendum est suæ portionis. Prob. 3. Ex communi persuasione, & praxi, cum nullus Pontificum vel Episcoporum urgeat restitutionem eorum, quæ Clerici de superfluis in profanos usus expendunt, aut hanc praxim damnet; quod utique fieri debuisset aut deberet, ne pauperes & Ecclesiæ rebus suis defraudarentur. Prob. 4. ex Bulla *Cum sicut* Julii III. edita anno 1550. ubi Papa ait, *pecunias & alias res, occasione Ecclesiarum, Monasteriorum, ac Beneficiorum Ecclesiasticorum provenientes, postquam ad manus Beneficiorum pervenerunt, & cum aliis ipsorum Beneficiorum fructibus commixti sunt &c. non ulterius in Ecclesiasticis, sed potius in ipsorum Beneficiorum propriis, & ab eis acquisitis bonis judicari, & propterea quodammodo pro secularibus & profanis haberi.*

- 6 *Objic.* 1. Clerici in *can. 19. caus. 12. q. 2.* vocantur dispensatores suorum reddituum: ergo non sunt domini. 2. Dicuntur committere sacrilegium, imò furtum, si bona Ecclesiastica sibi attribuant, vel malè expendant. *can. 6. caus. 1. q. 2. c. 4. b. t. &c.* ergo non sunt domini. 3. Bona Beneficialia à SS. Canonibus & SS. PP. appellantur *res Dei, patrimonium Christi, bona pauperum:* ergo eorum domini non sunt Clerici. 4. S. Bernardus in *ep. 2. ad Fulconem* ait: *quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum, de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* ergo. 5. Si bona superflua cedunt Clericis per modum mercedis, committitur

tur

tur Simonia, quam utique horrebimus admitte-
 re. R. ad 1. *N. ant.* nam non redituum suorum,
 sed bonorum ad ipsas Ecclesias pertinentium, vo-
 cantur dispensatores, non quidem in *d. can. 19.*
 sed alibi: quoad suos reditus sunt quidem dispen-
 satores, at non meri, sed simul domini, quod
 minimè repugnat. Ad 2. iterum est sermo de
 bonis ad Ecclesias pertinentibus, atque de illo
 tempore, quo nondum fuit facta divisio horum
 bonorum, & una pars per erectionem Benefi-
 ciorum necdum assignata Clericis Ecclesiarum
 ministris. In *c. 4. cit.* agitur de Prælato ex ob-
 lationibus & reditibus ipsius Ecclesiæ emente,
 & malè expendente. Ad 3. vocantur *res Dei*
 & *Christi*, non quòd eorum particulare dominium
 pertineat ad Deum vel Christum, sed quòd ad
 colendum Deum, & amore Christi, sint à fide-
 libus oblata Ecclesiis, & hujus Ministris depu-
 tata: quæ quidem ante dictam divisionem, &
 erectionem Beneficiorum, pertinebant ad par-
 ticulare dominium Ecclesiæ tanquam personæ
 fictæ, uti & omnes reditus Ecclesiastici; post
 divisionem verò & erectionem Beneficiorum pars
 redituum assignata est Clericis. *Bona pauperum*
 appellabantur, quia Clerici olim vivebant in com-
 muni, carentes omni dominio, uti nunc Reli-
 giosi; de quibus temporibus intelligendi sunt SS.
 Patres & antiqui canones; qui insuper sæpe lo-
 quebantur exaggerativè, & improprie: sic S. Hie-
 ron. relatus in *can. hospitalem d. 42.* universim,
 etiam de laicis, pronuntiat, *aliena rapere, qui ul-
 tra necessaria sibi retinere probatur.* Et S. Aug.
 in *Ps. 147.* ait: *res aliena possidentur, dum possiden-*

tur superflua. Quis talia accipiat in sensu proprio? Si reditus post divisionem supra relatam, & erectionem Beneficiorum, à quibusdam vocantur *bona pauperum*, vel *Dei*, indè fit, quòd Clerici habeant obligationem, personalem saltem, ex præcepto Ecclesiæ, superflua erogandi in pauperes, vel in causas pias; quam nec ego abnuo. Ad 4. S. Bernardus, qui scripsit post divisionem, usus est exaggeratione & auxesi Oratoria, & communiter à DD. intelligitur in sensu latiori (aliàs etiam committerent Clerici rapinam, si de quasi patrimonialibus aliquid sibi retinerent, vel si ultra victum & vestitum simplicem aliquid expendere in largitionem moderatam, honestam recreationem &c. quòd nec Adversarii concedunt) non in eo rigore, quem verba præferunt, sed in hoc, quòd superflua debeant expendere piè quocunque ex titulo, aut Jure. Ad 5. Hoc pacto nec quasi-patrimonialia, nec ad sustentationem necessaria, à Clericis accipiuntur sine Simonia, quia per modum mercedis accipiuntur; quòd plerisque Adversariis dicere non libet. Dic ergo, etiam superflua accipi per modum mercedis non rigorosæ, sed potiùs per modum stipendii ad sustentationem, ut ut illud liberale sit: vel, si velis vocare mercedem propriè dictam, dic illam non considerari ut proportionatam ministeriis sacris, quòd foret Simoniacum, sed proportionatam personæ & ex Justitia debitam pro sustentatione juxta illud Christi, *dignus est operarius mercede sua.*

7 Dico 4. Clerici Beneficiati, non obstante, quòd sint suorum reddituum omnium veri domini,

ni, superfluos tamen tenentur erogare in causas
 pias. 2. Non quidem ex Justitia, uti Laym. &
 Pirhing &c. volebant. 3. neque ex virtute Cha-
 ritatis, uti putabant Molina & Palao. 4. Ne-
 que ex virtute Religionis, uti contendebant Lugo
 & P. Franc. Schmier. 5. Sed ex solo præcepto
 Ecclesiæ 6. Eoque partim scripto, partim tra-
 dito; adeoque ex virtute obedientiæ tantum. Pars
 1. videtur esse omnium, licet in radice hujus ob-
 ligationis non convenient. Pars 2. 3. & 4. pro-
 batur negativè, quia non satis probatur obliga-
 tio Juris Naturalis aut Divini, descendens ex vir-
 tute vel Justitiæ, vel Charitatis, vel Religionis;
 imò probatur oppositum ex variorum Pontificum
 Bullis, qui Clericis in Urbe, & districtu Romano
 usque ad 10. Milliaria existentibus, dederunt li-
 centiam etiam de superfluis liberè disponendi per
 actus inter vivos vel ultimæ voluntatis ad causas
 quoque profanas, ut ex Bulla *Etsi Universis*. Sixti
 IV. ex Bulla *Cupientes* Julii III. ex Bulla *In eminenti*
 Pauli V. & ex Bulla Innoc. XII. qui non ita pri-
 dem simile privilegium concessit Jodoco Edmun-
 do, Episcopo Hildesiensi, quæ exstat apud Stry-
 ckium in *appendic. ad tract. de Cautelis Testament.*
 Pars 5. & 6. quam tenent Domin. Sotus, Covar-
 riv. Garc. Less. Sanch. Haun. & longè commu-
 nior modernorum Theologorum, & Canonista-
 rum, desumitur ex *caus. 1. q. 3. can. 13. & caus.*
12. q. 2. can. 13. &c. item ex Trid. s. 25. c. 1. *de*
ref. ubi Clericis omnino interdicit, ne ex redivibus
 Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere
 studeant; cum & Apostolorum canones prohibe-
 ant, ne res Ecclesiasticas, quæ DEI sunt, con-

sanguineis donent. Ergo Ecclesia prohibet superflua expendi in causas profanas. Quia verò dicta Jura videntur loqui de rebus & redditibus Ecclesiarum, seu ad Ecclesias pertinentibus, vel de temporibus divisionem rerum Ecclesiasticarum & beneficiorum erectionem antegressis, non sufficienter probarent nostram assertionem, nisi communis DD. interpretatio, aliquam obligationem piè expendendi Clericis imponentium ex una parte accederet; ex altera verò nulla ratio satis probat obligationem Juris Naturalis & Divini; inde deducitur, quòd hæc obligatio oriatur ex Jure Ecclesiastico, non merè *scripto*, sed simul etiam *tradito*, quod nobis explicat communis DD. sensus.

- 8 *Objic.* 1. Card. Sfondrati *in Nepotismo* §. 2. n. 1. ait, Clericos ex Jure Divino & Humano tam certò obligari ad redditus superfluos piè erogandos, *ut probatione non indigeat; cum omnes Patres, omnes canones, omnes leges, Divina Humanaque, ac denique omnes Theologi hoc ipsum uno ore profiteantur.* 2. Quamvis Clericis adstruatur dominium in redditus superfluos, illud tamen est ligatum vinculo Justitiæ ad eos piè expendendos, eò quòd fundatores Beneficiorum sub hoc onere, ex pacto saltem tacito, tam amplios ipsis redditus consignarint, utique nolentes ipsis dare ansam superbiæ & luxûs, sed potiùs DEI cultum & subsidium pauperum intendentes. 3. Clerici ratione statûs debent esse patres pauperum: ergo ex virtute Charitatis superflua tenentur dare pauperibus. 4. Ratio, cur Ecclesia præcipiat superflua expendi in causas pias, est, quòd sint *bona Dei, & patrimonium pauperum*: ergo

sup-

supponit, hanc obligationem jam dari antecederent ex virtute Religionis, vel Charitatis. R. ad I. Card. Sfondrati nimium dixisse & falsum, tam certò constat ex dictis, ut nec probatione indigeat ulteriori. Ad 2. Quamvis fundatores tacitò pactò obligarint Prælatos & Administratores, ut bona à se donata & applicata Ecclesiis applicent ad illos usus, ad quos applicari voluerunt, consequenter etiam obligarint ad redditus Beneficiales beneficiatis consignandos: negatur tamen, quòd ipsos beneficiatos, quibus assignati redditus tradi debent, obligare intenderint, ut expendant piè, sicut nec Musicos, Ædituos, & Officiales Laicos, quibus voluerunt dari certos redditus de bonis Ecclesiarum, ad id obligarunt. Id concedo, quòd desideraverint, & speraverint, à Clericis piè expensum iri superflua juxta præceptum Ecclesiæ, quo contenti fuisse præsumendi sunt, cum novam obligationem Justitiæ, vel ex pacto, à se ipsis impositam esse, non satis probetur, præsertim cum tam gravis obligatio Justitiæ posset causare plurimos scrupulos, & pericula salutis. Propter dictum desiderium bona Ecclesiis & Clericis donata rectè dicuntur *vota fidelium*, & quia fundatores obtulerunt ad obtinendam peccatorum veniam, *pretia peccatorum*. Ad 3. Quamvis deceat, ut Clerici ratione statûs curam habeant pauperum, eòsque ex superfluis juvent, imò ad hoc etiam obligentur (saltem disjunctivè) ex præcepto Ecclesiæ (quæ de causa non malè hæc bona dicuntur *patrimonia pauperum*) specialis tamen obligatio extra casum gravis vel extremæ necessitatis pauperum (quo casu etiam Laici de patrimonialibus succur-

currere tenentur pauperibus) non sufficienter probatur. Dein hoc argumentum probaret, quòd Clerici nequeant superflua expendere in alias causas pias, v. g. in ornamentum Ecclesiæ. Ad 4. Illa ratio dicit quidem convenientiam, non verò obligationem à Jure Naturali introductam; nec obligationem Religionis inducit illa ordinatio ad Dei cultum; quia per illam illi reditus nec fiunt sacri in se, uti calices per consecrationem, ut patet, nec fiunt sacri, quia personis sacris cedunt, aliàs etiam patrimonialia, & quasi-patrimonialia, Clericorum fierent sacra. Unde ergo obligatio Religionis? Certè, si propter hoc, quòd fundatores, offerendo Ecclesiis sua bona, spectarint cultum Dei, & indè apud Clericos nasceretur obligatio Religionis, etiam Officiales Ecclesiarum Laici suos reditus ab Ecclesiis acceptos tenerentur piè expendere: quis autem hoc somniat? Satis suum finem cultûs Divini obtinent fundatores, si Clerici, quibus liberaliter & ad superfluitatem usque consuluerunt, sacra ministeria obeant. Quamprimum Clericis, uti & Officialibus Laicis, applicantur sui reditus, extrahuntur ex arario & dominio Ecclesiæ, vel DEI, atque in illorum transeunt dominium, licèt cum obligatione superflua piè expendendi, imposta solo præcepto Ecclesiastico.

